

privilegium faciendi sacrum, et ministrandi sacramenta in toto suo episcopatu, non poterit facere sacrum in alieno episcopatu sine licentia Episcopi loci, vel qui ejus vicem gerat, et multo minus poterit ministrare sacramenta. Clarius exemplum est, quia religiosus in domo propria habens a proprio Prælato particulari talis monasterii privilegium domo exeundi sine licentia, non poterit illo uti, dum est hospes in alio monasterio, sine approbatione Prælati illius loci. Ratio est eadem, quia privata jurisdictio non extenditur ad alienum territorium; item quia licet domo exire non sit simpliciter prohibitum, tamen exire sine licentia est prohibitum, et in unoquoque loco est illa prohibitio, quasi specialis respective ad Prælatum talis loci: ergo privilegium particulare tollens illam prohibitionem, cum particulari respectu ad unum locum vel territorium, non potest in alio valere.

10. *Privilegio in alieno territorio uti, quando sit licitum.* — *In quo sensu locum habet secunda conclusio.* — Dico secundo: potest aliquis privilegio sibi concesso a suo particulari principe aut Prælato, licite uti in alieno territorio, quando actus de se est indifferens, et neque juri communi, neque particulari talis loci est prohibitus, nec pendens ab speciali licentia superioris talis loci. Hæc assertio videtur adeo clara, ut appareat potius impertinens ad usum talis privilegii, quia si actus est de se indifferens, et per commune jus Ecclesiæ vel proprium alterius territorii non est prohibitus, sine privilegio est ibi licitus, etiamsi in proprio territorio sit prohibitus et pro illo necessarium fuerit privilegium. Patet, quia statutum territorii non obligat incolam extra territorium peregrinantem: ergo ad non servandum tale statutum non indiget privilegio: ergo non recte dicitur prodesse ibi tale privilegium. Sed, licet hoc per se loquendo ita sit, nihilominus habere potest locum conclusio, vel in casu dubio, vel in casu in quo proprium præceptum Prælati subdito impositum possit obligare illum extra territorium suum. Exempla esse possunt, primo, de privilegio eligendi confessorem: nam per illud a proprio Prælato concessum, potest quis ubique locorum confessorem eligere. Quia sine tali privilegio, vel est dubium cui possit et debeat confiteri, qui in alieno episcopatu versatur; vel est probabilius solum posse confiteri, jure communi, proprio paroco loci ad quem pervenit: at, per illud privilegium, eligere poterit sacerdotem quemcumque, juxta c. *Placuit*, de Pœnit.

distinct., 6, et quæ ibi Navarr. notat. Quod intelligendum nunc est, dummodo sacerdos sit approbatus juxta tenorem Concilii Trident. Similiter parochus habens licentiam ad non residendum a proprio Episcopo, potest illo privilegio uti et gaudere extra territorium, dummodo ibi studeat. Ratio est, quia privilegium personale de se incedit cum persona, nam illi adhæret; ergo ubique habet effectum, quatenus alibi necessarium aut utile esse potest, si alienæ jurisdictioni non sit contrarium, ut contingit in casibus dictis, et univarse in omnibus in quibus actus non est malus, nec specialiter prohibitus in tali loco.

11. *Declaratur doctrina tradita.*—*Quomodo tradita assertio sit intelligenda.* — Nec refert quod videatur jurisdictio exerceri in alieno territorio, quia exercetur in tali territorio materialiter (ut sic dicam) et per accidens, non formaliter, nec per se, quia existentia in tali vel tali loco impertinens est ad usum talis privilegii. Vel aliter illud non est inconveniens, quando usus jurisdictionis non est cum externa solemnitate publica, et est circa personam subditam quoad aliquid, in quo subdita manet, licet sit absens, et in actu qui nullo modo opponitur jurisdictioni Prælati alterius loci, et maxime quando simul est actus jurisdictionis voluntariæ, ut est concessio privilegii, ut alibi latius diximus, tractando de absolutione a censura. Erit autem intelligenda hæc assertio de privilegio, ut privilegium est, seu ut gratiam vel dispensationem subdito concedit, non ut lex est, quæ alios valeat obligare ad permittendum privilegii usum, quia nemo potest sua lege obligare homines alterius territorii, qui subditi alteri sunt. Et ita licet quis possit uti suo privilegio in alieno territorio, superiores illius loci poterunt id non permittere, si justam causam habeant. Tunc tamen reducetur hic casus ad præcedentem assertionem, quia jam ille usus erit de re prohibita tali personæ in tali loco, a qua prohibitione liberare non potest privilegium alieni principis, ut dixi.

12. *Dispensatus in actu jure communi prohibito, et non alia ratione, ubique gaudet privilegio.* — Dico tertio: quando actus est prohibitus jure communi, et non particulari statuto alterius territorii, dispensatus a suo Episcopo circa talem actum, per particulare privilegium, potest licite uti tali privilegio extra territorium, nisi ex speciali ratione contingat dispensationem ad locum limitari. Juxta hanc assertionem interpreto opinio-

nem Dec. supra citatam: nam habere plura beneficia jure communi prohibitum est. Unde clarum est non posse legatum concedere privilegium, ad habendum illa, hominibus extraneis a suo territorio, juxta cap. 2 de Constit., in 6, et leg. ultim., ff. de Jurisdic. omr. judic., et alia quæ Rebuff. supra adducit. Nihilominus tamen, si hominem sui territorii legatum habilet ad plura beneficia, ubique illa obtinere poterit, quia habilitas illa cum persona incedit, et hoc includit Decius et approbat Probus in cap. *Officii*, de Offic. legat., in 6, et tandem consentit Rebuffus. Simile exemplum est de marito qui erat impeditus ad petendam debitum propter votum castitatis, vel propter aliquam affinitatem per illicitam copulam contractam, et, dispensatus a suo Episcopo, ubique locorum potest petere debitum. Dispensatus etiam in irregularitate occulta a suo Episcopo, licite ministrat ubique. Sed in his casibus et similibus, ratio est facilis, quia per dispensationem sublaturum fuit a persona impedimentum, et ideo pro quocumque loco libera manet. Unde videri potest non esse illum proprie usum privilegii in alieno territorio, quia privilegium seu dispensatio semel habuit effectum, et postea libera persona manet, et privilegium jam non operatur, nisi ut causa per accidens et remota, quæ abstulit impedimentum; sicut absolutus a censura ubique licite communicat vel ministrat, non quia absolutio ibi operatur, sed quia abstulit impedimentum. Nihilominus tamen, respectu radicis impedimenti quæ manet, potest non incongrue dici tunc aliquem uti semper et ubique tali privilegio, quia votum manet, et nihilominus non impedit, ratione privilegii.

13. *Difficultas de dispensatione in præcepto ecclesiastico.* — Major difficultas est in privilegiis per quæ derogatur præcepto ecclesiastico, quod de se semper obligat, ut est, verbi gratia, privilegium laborandi in die festo, comedendi lactinia in die prohibito, quando illud non a Pontifice, sed a privato Episcopo concessum est; nam tunc videtur non posse aliquem uti privilegio sui Episcopi in alieno territorio. Primo ex usu, quia licet in hoc episcopatu, ex licentia Episcopi, liceat comedere lactinia in diebus prohibitis, non poterunt incolæ hujus loci illo privilegio uti in alieno episcopatu, in quo talis licentia non conceditur, ut videtur habere usus et ratio postulat; tum quia nemo potest uti privilegio sui Prælati in alieno territorio contra legem

illius territorii, ut dictum est; ergo nec contra legem totius Ecclesiæ ibi obligantem. Probatur consequentia, tum quia non est potentior privatus episcopus ad dispensandum in lege Ecclesiæ in alieno territorio, quam ad dispensandum in propriis statutis alicujus territorii; tum etiam quia, sicut Prælati alterius diocesis habet potestatem obligandi ibi suis statutis, non obstante concessione alieni pastoris, ita habet potestatem et curam obligandi ut ibi servantur communia Ecclesiæ præcepta, et castigandi violatores eorum; ergo etiam in his non potest ibi valere aliena dispensatio; tum denique quia ratio ob quam peregrini obligantur ad servanda statuta et consuetudines loci, multo magis urget in legibus Ecclesiæ communibus, quia in illis debet servari uniformitas, et turpior est pars quæ in illa observantia discordat a toto, et de se majus scandalum est ibi non servare communes Ecclesiæ leges; sed propter has rationes ita obligatur peregrinus illis privatis statutis, ut dispensatio sui Prælati non possit contra illa valere; ergo multo minus poterit adversus generalem prohibitionem Ecclesiæ esse sufficiens pro alieno territorio.

14. *Duplex modus concedendi privilegium.* — Hæc argumenta videntur hanc partem facere probabilem, nihilominus tamen distinctione quadam utendum videtur. Nam duobus modis contingere potest ut Prælati det privilegium contra jus commune per modum dispensationis; uno modo, per generalem concessionem factam pro toto episcopatu, vel pro aliquibus locis illius ex peculiari causa, a conditione seu necessitate speciali talis loci orta. Exemplum familiare est in concessione quæ in aliquibus episcopatibus hujus regni fieri solet ad comedendum lactinia in diebus prohibitis in quibusdam locis vel diocesisibus a mari disjunctis. Alio modo, per specialem concessionem alicui personæ factam ex propria et personali causa ipsius. Quando privilegium est prioris modi, dico non valere extra territorium concedentis, vel extra locum diocesis pro quo conceditur, juxta dicta in puncto præcedenti; quia privilegium illud non extenditur. Item ibi cessat ratio dispensationis, quæ non incedit cum persona, sed loco quasi adhæret; ergo nec dispensatio juvat. Et hoc a fortiori confirmant rationes proxime factæ. Ex quo declarata manet ultima pars et exceptio in assertionem posita, nam propter hoc genus privilegii est posita.

15. *Privilegium personale ob legitimam*

causam cum ipsa persona ubique incedit.—*Tres rationes.*—At vero quando dispensatio seu privilegium est posterioris rationis seu mere personale, et habet legitimam causam in ipsa persona, et cum ipsa persona semper incedit, videtur mihi valde probabile, posse sic privilegiatum uti dispensatione sua extra territorium concedentis, ut, verbi gratia, comedere lacticinia in diebus prohibitis, si de hoc sit privilegium propter specialem necessitatem personalem subditi, et similia. Ratio est, primo, quia ita videtur usus interpretari huiusmodi dispensationem: nam religiosus habens talem dispensationem a suo Prælato, vel Provinciali, illa utitur ubicumque peregrinetur, non solum quia est exemptus, et forte caret superiore in alio loco, sed etiamsi ad aliam domum vel provinciam perveniat, ubi posset a Prælato proprio sui ordinis, cui pro tunc subest, dispensari. Secundo, quia illud jus commune non pendet ab hoc vel illo loco, et per dispensationem simpliciter sublatum est respectu talis personæ; ergo non redit obligatio ejus propter loci mutationem; ergo neque ibi est necessaria dispensatio nova; ergo licet uti priori, vel potius effectu ejus, qui fuit auferre ab hac persona obligationem talis præcepti. Unde, considerando hunc effectum, æquiparatur hæc dispensatio cum aliis in exemplum adductis in prima probatione conclusionis, de quibus nullum videtur esse posse dubium. Tertio, est optima congruentia moralis, quia proprius Prælatas talis personæ habet, vel habere præsumitur notitiam illius, et causarum particularium quæ in ea sunt ad exigendum illam a tali obligatione. E contrario vero arduum et molestum esset tali personæ, ubicumque peregrinatur, Prælatum loci et sibi alienum convenire, eique rationem suam vel necessitatem aperire, vel (quod durius, et difficilior esset) persuadere et probare ut dispensationem pro illo loco ratam haberet; ergo verisimile est talem dispensationem proprio Prælato ita esse commissam, ut ubique valeat. Unde tandem confirmatur, quia Prælatas particularis non dispensat in hoc jure, nisi ex voluntate et concessione Pontificis expressa vel tacita, cum jus sit ipsius Pontificis; sed si Pontifex dedisset privilegium, ubique valeret: ergo et datum a proprio Prælato, qui subrogatus est, ut faciat id quod Pontifex faceret, si adesset. Et hanc conclusionem satis videtur supponere Navar. supra. Et eandem confirmat primum exemplum de dispensatione legati ad plura

beneficia, nam illa immediate derogat præcepto, et ita personam habilitat.

16. *Satisfit fundamentis oppositæ sententiæ.*—*Objectio.*—*Responsio.*—Neque contra hoc obstant rationes in contrarium factæ: nam inductio quæ affertur, pertinet ad priorem partem distinctionis positæ, et illam confirmat. Ad rationem autem negatur simpliciter consequentia, et ad primam probationem negatur assumptum, et æquiparatio, quæ ibi fit inter jus commune Ecclesiæ, et privatum alterius territorii, quia illud est generale, et superioris, qui pro aliquibus casibus et personis potuit committere dispensationem ejus alicui inferiori Prælato sibi subordinato; hoc vero est speciale et ab æquali Prælato latum, a quo nulla jurisdictio manavit vel communicata est alteri sibi æquali, et ita non est similis ratio. Dices videri absurdum quod possit quis uti privilegio sui Prælati ad non jejunandum in alieno territorio in die præcepto ab Ecclesia, et non in speciali die præcepto a Prælato loci. Respondeo, primo, non esse inconveniens, quia licet præceptum Ecclesiæ gravius sit, est aliquo modo commissum dispensationi uniuscujusque Prælati pro persona sibi subdita, non tamen ita est illi commissum præceptum inferius, vel æquale. Addo, secundo, probabile esse, quando dispensatio data est ex legitima causa, et pro omnibus jejuniis, excusare etiam a simili præcepto loci, quia non est verisimile velle Prælatum loci obligare personam habentem legitimam causam excusationis jam probatam per propriam dispensationem sui Prælati, quin potius virtute censetur illam dispensationem acceptare. Et juxta hoc declaranda vel limitanda erit prior assertio, in qua est longe diversa ratio, quia privilegium contra jus proprium concedentis potest valere sine causa, vel sine legitima excusatione præcepti, propter alios respectus, et ita ibi nulla est ratio præsumendi consensum vel acceptationem Prælati. In præsentem autem est maxima, saltem quamdiu Prælatas loci aliud non indicat.

17. Addo enim ulterius, præsertim propter secundam probationem supra positam, posse Prælatum territorii prohibere ne aliquis advena ibi utatur talibus dispensationibus sine sua notitia et ratihabitione, quando usus eorum est publicus, et in actibus et moribus communibus toti populo, quia hoc est valde consentaneum rationi, et, ad debitum ordinem et ad tollenda inconvenientia quæ sequi possent, esse potest necessarium. Tunc ergo non poterit quis uti tali dispensatione, sine assensu

CAPUT XXVII.

QUANDO PRIVILEGIUM QUOAD SUOS EFFECTUS RESTRINGENDUM SIT UT ODIOSUM, VEL UT FAVORABILE AMPLIANDUM.

1. *Quando privilegium restringendum, quando ampliandum.*—Hæc quæstio, propter modum interpretandi privilegia declarandum, proponitur: nam licet hæc materia sæpe in superioribus tacta sit, propria indiget consideratione, et in hunc locum optime cadit; tum quia parat viam ad explicandam mutationem seu derogationem privilegiorum, de qua nobis dicendum superest; tum etiam quia necessaria est ad tractatum de effectibus privilegiorum consummandum. Nam sicut de indulgentia dici solet, ita de privilegio dicere possumus, tantum valere quantum sonat, id est, quantum verba ejus significant vel comprehendunt, et ideo ex verborum interpretatione pendet activitas, vel (ut sic dicam) adæquatam objectum, et sphaera activitatis privilegii. Hæc autem interpretatio, et regula quæ circa illam tradi possunt, pendent ex illa juris regula: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Et ideo ante omnia explicare oportet quando, ad effectum restrictionis vel ampliationis, privilegium sit judicandum favorabile, vel odiosum. Est autem hoc difficile ad explicandum; tum quia jura ipsa videntur varie loqui; nam in cap. *Olim*, de Verb. sign., absolute dicitur privilegium esse late interpretandum, ubi id notant Gloss. et doctores; at vero in cap. *Sane*, et cap. *Porro*, de Privilegiis, dicitur privilegia esse restringenda, ubi etiam id communiter notatur: tum etiam quia hinc privilegium concedit favorem, et ex ea parte videtur extendendum, et præsertim quia frequentius est beneficium principis, quod amplissime accipimus, ut dicitur in d. cap. *Olim*, cum similibus, quæ ibi Gloss. refert: illinc vero privilegium est jus singulare, quod propter commune restringendum est, juxta l. *Quod vero*, ff. de Legibus.

2. *Privilegium quod est purum beneficium, vel quod est alicui juri contrarium.*—In hac igitur dubitatione, communis doctrina est distinguendum esse inter privilegium quod est purum beneficium, seu favor, nulli præjudicium afferens, nec juri communi derogans, et rigorosius privilegium, quod derogat vel juri communi, vel alicujus tertii. Inter quæ, ut supra diximus, est differentia: nam prius est

Prælati loci, ipse autem tenebitur dispensationem acceptare, nisi habeat legitimam causam præsumendi vel surreptionem vel causæ mutationem. Et per hoc satisfit tertiæ probationi, quia, interveniente legitima dispensatione, cessant rationes omnes quæ per se pertinere possent ad talem obligationem ratione uniformitatis, vel consuetudinis. Ratio vero scandali accidentaria est, et illa semper habet locum in proprio territorio, ideoque semper præsumitur hoc debere fieri sine scandalo.

18. *Applicatio dictæ doctrinæ ad summum Pontificem, saltem aliquo modo.*—Ultimo ex dictis constare facile potest quomodo hæc resolutio applicanda sit ad summum Pontificem, quatenus in eo aliquo modo locum habere potest. Absolute enim ille non habet definitam diocesim ut Pontifex est, sed totum universum complectitur: non enim loquimur de illo ut specialiter est Episcopus Romanus habens propriam diocesim, sed ut est universalis pastor. Unde privilegium ab eo, ut talis est, concessum, ubique valet, et ubique licitum est uti illo, quia semper talis usus est intra territorium concedentis. Imo videri potest aliquando esse licitum illo uti extra territorium humanum, vel absolvendo jam defunctum a censura, vel utendo indulgentiis concessis pro defunctis; sed revera nunquam usus talis privilegii est extra territorium Papæ: nam usus ille in terra fit, et hominibus viatoribus conceditur, ut illo, dum vivunt in terra, utantur, licet effectus aliquis illius usus communicetur defunctis, et acceptetur in cælis, quia totum hoc cadit sub territorium et potestatem Pontifici concessam. Et ita verum absolute est neminem posse uti privilegio Pontificis extra territorium ejus, et posse illo uti in quocumque territorio alterius Prælati, vel principis. Solum oportet advertere quid contineatur sub concessione et intentione Pontificis: nam licet hoc totum possit, non semper facit quantum potest. Et ideo sæpe non licet uti privilegio ejus, contra specialia statuta, vel consuetudinem episcopatus, non quia non possit Pontifex hoc concedere, sed quia non concedit, nisi exprimat per clausulam specialiter derogantem, quod secus est in jure communi, ut in superioribus explicatum est.